



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An Christianus sit Dominus omnium traditionum. tit. 33

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

odium, Gen. 4. nec te vult habere, si manseris in odio  
& inobedientia Ecclesiæ, &c.

*AN CHRISTIANUS SIT DO-*  
*minus omnium traditionum.*

## TITVLVS XXXIII.

**P**R Imò, secte vt omnem obedientiam  
tollant erga Ecclesiã & capita Ecclesię,  
licentiam conferunt vulgo & rudi po-  
pulo, ne curet præcepta Ecclesiæ in fe-  
rijs, cibis, vestibus Ecclesiæ, in ordina-  
tione caremoniarũ & cultuum Ecclesię, docent eos  
esse liberatos per Christi passionem, ab omni tradi-  
tione humana, esse Dominos omnium traditionum,  
posse eas seruare vel non seruare ad lubitum, sicuti  
Dominus imperat seruo suo. Sic omnis credens in  
Christum, est Dominus: præcepta hominum prælato-  
rum, sunt serui: ob id habet libertatem. Nã dicit Pau-  
lus 1. Cor. 7. Vocati estis in libertatẽ, nolite fieri ser-  
ui hominum. Gala. 5. Vocati estis in libertatem, ergo  
liberum est obedire statutis Ecclesiæ vel non, &c. Et  
Matth. 12. Mar. 3. Filius hominis etiam est Dominus  
sabbathi. Vt ergo non peccabant discipuli frangen-  
tes sabbathum, vellentes spicas, sic potest omnis Chri-  
stianus frangere traditiones &c.

Secundò, notandum est, primò, qua ratione & mo-  
do Christianus liber esse dicatur ab omnibus tradi-  
tionibus & præceptis hominũ. Secundò, quibus mo-  
dis & quo pacto non sit liber. Primò, eo modo liber  
dicitur Christianus, vt si quis te interroget, Quid ti-  
bi remittit peccata? quid te saluat? nunquid hoc fa-  
cere potest homo, angelus, præcepta, caremonia, ve-  
stis, cibus, potus, &cet? Dices, non. Quid tunc te  
iustificat & saluat? Respondeo, Fides in effusum san-  
guinem Iesu Christi: nam propter sanguinem crucis  
I i  
cius,

eius complacuit patri sibi omnia reconciliari, Colof. 1, & 1. Ioan. secundo. Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi &c. Roma. 4. Ipse mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ideò hac ratione liber est Christianus, quòd scilicet non opus ei sit staturis humanis ad consequendam salutem. Nam Deus iustificat, & remittit peccata, & saluat, propter aliquid, quod est maius & nobilius quàm traditiones & opera hominis: nempè propter effusum sanguinem Iesu Christi. Ideò hac ratione est homo liber, quia non iustificatur ideò, vt causa, si seruat quis traditiones. Nec etiam ideò deterior est, vt causa, si negligit: & sic, quoad finem iustificationis, omnia nostra sunt, & subiecta nobis: nõ indigemus illis 1. Cor. 3. Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Petrus, vita & mors, &c. neq; sabbatum, neque decalogus: sic sumus Domini etiam sabbathi, Matt. 12. Marc. 3. id est, nullum opus vel præceptum est causa iustificationis, sed Christus. Sic in Christo nihil valet, neq; circumcisio, aut præputium, sed noua creatura, & sic sumus liberi.

Subindè, quanuis fides causam iustificationis solum apud Christum habet, attamen habita ratione eius obedientiæ, qua etiam Deus præcepit obedientiam potestati, Roma. 13. nullus Christianus est liber, neq; Dominus omnium humanarum traditionum, vt eas pro suo arbitrio, aut seruare aut rejicere vellet, sed tenetur obedire superioritati, ac vniuersalis Ecclesiæ præcepta audire & tenere. Nam fides nõ destruit legem, sed statuit, Rom. 3. Ideò propter Dei obediendum est, inquit Petrus 1. Petr. 2. omni humanæ creaturæ, & Paulus 2. Theff. 2. iubet tenere omnes traditiones, quas dedit illis, siue per sermonem, siue per Epistolas, &c. Subindè fides non tollit bonum & honestum ordinem, eò quòd etiam Apostolus dicit 1. Corinth. 14. quòd omnia honestè & secundum ordinem,

ordinem fiant in nobis. Postremò hoc solū est quod fides pati non potest, q̄ causa iustificationis & salutis tribuatur præceptis, ceremonijs, cultibus, traditionibus tanquam primæ causæ. Hoc enim derogaret Christo, Galat. 2. Si ex lege est iustitia, gratis Christus mortuus est.

Tertiò, Et licet traditiones, religiones, vota &c. non iustificent & mereantur præmia essentialia, at tamen alia præmia in hac & post hanc vitam, habent promissa ex gratia secundum gradus laborum, 1. Cor. 3: Habent accidentale præmium, 1. Corint. 15. differt stella à stella. Pessima ergo illa sequela multos traxit à pijs operibus & religionib. Ordo, cuculla, opera, &c. non iustificant, ergo non habent aliquod præmium. Plurimum enim differunt iustificatio & remuneratio, licet vtrunque fiat à Deo per gratiam, id est, propter Christum &cæt. propter obedientiam. Igitur quilibet Christianus non est sic Dominus, vt ad voluntatem acceptet vel reiiciat traditiones, &c. Sic 1. Corinth. 9. inquit Paulus: Cùm essem liber, id est, quoad iustificationem ab omnibus rebus, nullo indigens ad iustificationem, seruum tamen omnium me feci, id est, propter obedientiam, quia & Dominus præcepit obedire magistratui, Rom. 13. Propter Deum ergo hæc obedientia exigitur, 1. Pet. 2.

Quartò, eò omne sectarum tendit studium, vt liberam habeant potestatem scripturam interpretandi & detorquendi ad suum beneplacitum. Subindè ceremonias vniuersales, quæ Ecclesia ordinauit, abrogandi atque nouas instituendi, iuxta eorum beneplacitum. Tertiò, vt penès ipsas sit successio, ordinatio & depositio ministrorum Ecclesiæ. Sed horum nullū eis concedit Ecclesia Catholica. Non mutat glossam & interpretationem scripturæ, sed perseuerat in hac, quæ semel placuit Deo Spiritui sancto, & vera fuit habitata. Ideò Ecclesiæ est columna & basis veritatis, 1.

ad Tim. 3: Subindè ceremonias vniuersales, non permittit illis mutare, nisi quandò per concilium vniuersale mutantur &c. iuxta Salomonem Prouerb. 12. Terminos patrum ne transgrediaris.

Postremò seruat successiõnem legitimam ministrorum Ecclesiæ, vt si Papa hodiè moritur, cràs alter eligatur, licet heretici sepè depofuerunt, cõtempserunt & recusarunt obedientiam Papæ: attamen successio illa hætenùs conseruata est, id quod mouit Augustinum, vt Manichæos relinqueret. Sic vno Episcopo mortuo, alter consecratus eligitur Ita non habent successorem Arriani, Nouatiani, Macedoniani, Luterani, Zuingliani, &c. sed mortuo heresiarcha, statim secta cadit, & incipit deficere: & vbi hodiè est sacerdos, inquit Tertullianus, cràs præficatur editur, vel laicus. Sunt enim sydera errantia, inquit Iudas in sua Canonica. Non igitur permittitur schismaticis illa libertas, quòd sint Domini harum traditionum & ordinationum &c.

Apostoli enim cum magna discretione docuerunt libertatem Christianam, docuerunt libertatẽ Spiritus, non carnis, vt Petrus 1. Petri. secundo, quasi liberi in Spiritu, sed non quasi illi, qui libertatem carnis querunt. Et Paulus Galat. 5. Vocati estis in libertatem, sed videte, ne illam ad carnem trahatis, sed sicut serui Dei sitis liberi, inquit Petrus: & per charitatem seruite inuicem, addit Paulus. At quæ est illa libertas Spiritus? aut in quibus rebus consistit? Primò in hoc, quòd conscientia scit se esse per Christi sanguinem sic liberatam, quòd si in fide viuã perferuerit, non poterit illam accusare vel damnare, peccatum, lex, Sathan. Et de illa dicit Paulus Rom. 8. Nihil damnationis &c. & Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

Secundò, in hoc consistit libertas Spiritus, quòd Sathan non potest eum impedire, trahere, ac captiuum tenere,

tenerē, sicut fecit ante Christi mortem. Nam vt dicit Paulus 1. Cor. 12. Cū gentes essetis, prout ducebamini, iuistis ad simulacra. Spiritus sanctus assistit Spiritui nostro, & adiuuat infirmitatem nostram, Rom. octauo, & de illa etiam dicit Apostolus 2. Corinth. 3. Vbi Spiritus Domini est, ibi libertas à Sathana: ne illum ad voluntatem impugnet, aut à fide Christi retrahat, sicut libenter vellet, sed ei fortiter resistat. & nisi hæc libertas esset, nemo posset permanere in fide. Postremò est libertas à cæremonijs legis Moysis, id est, circumcisione, generibus quibusdam ciborum, loco quorum quosdam alios nunc habemus ritus & cæremonias Euangelicas plenas fructibus, vt Sacramenta, de quibus Paulus loquitur Galat. quinto, Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, & cæt. Huiusmodi sunt libertates Spiritus, quibus gaudent serui Dei. Sed alia libertas, quæ est, nolle obedire præceptis Ecclesiæ ac prælatorum, contemnere omnia, illa carnis est, quam prohibent Apostoli & cæt. & per hanc libertatem faciunt iam schismatici prædicatores, populum adedò lasciuum & insolentem, vt vae illos maneat & c.

*FIDES AN SOLA ANTE*

*omnia opera iustificet & saluet.*

TITVLVS XXXIIII.

**P**ostremò, (dicūt secte) ante omnia accedentem ad Deum oportet credere, Hebræ 11. Peccator igitur cupiens remissionē peccatorum, quandò credit Christum pro se passum & mortuum, & quòd pro se satisfecit & suis peccatis Christus. Hæc fides sola ante omnia opera impetrat remissionem, & quòd sit filius Dei & hæres salutis æternæ. Sic enim per fidem saluus & iustus est ante omnia opera. Nam hæc fides